

L. 0 72



Kern 241

(1-27)



(12)

AD AVDIENDAM  
ORATIONEM AVSPICALEM  
DE  
F A T I S  
HAEMORRHOIDVM

D. X. IANVAR. A. R. S. CIOCCCLXXIIII.  
IN PVBLICO ET MAIORI AVDITORIO  
HABENDAM  
OFFICIOSE ET DECENTER  
INVITAT,

SIMVL QVE  
OBSERVATIONEM ANATOMICAM  
DE  
EXCRESCENTIA SINGVLARI  
IN VTERO NVPER REPERTA

PRAEFATVR  
CHRISTIANVS THEOPHILVS  
HOFMANN,

MEDICIN. DOCTOR, ANATOMIAE ET CHIRVURGIAE  
PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS.

ALTORFII NORICORVM,  
TYPIS IOHANNIS ADAMI HESSELI  
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

ORATIONEM APOSTOLICAM

HAEMORRHOIDVM

OBSERVATIONEM ANATOMICAM

EXCRESCENTIA SINGULARI


CHRISTIANVS THEOPHILVS

PROFESSOR PVDICIS ORDINIS

ALMA MATER


ALMA MATER





**P**ro certo mihi persuasum habeo, non irrito  
 quodam aut fatuo gentilium fato, sed ex be-  
 nignissimo nutu et providentia DEI T. O. M.  
 omnia sapientissime dirigentis, quem supplex  
 adoro et revereor, factum esse, ut sedem pristinam, haud  
 infelicem, cum hac nova, de qua ambienda aut impetranda  
 vix olim cogitaveram, nunc auspicato commutaverim. Post-  
 quam enim ex Decreto PERILLVSTRIS MAGISTRATVS NORIM-  
 BERGENSIS, atque Patrocinio ILLVSTRIVM et GENEROSISSI-





MORVM DOMINORVM ACADEMIAE ALTORFINAE CVRATORVM, hac in celeberrima Musarum sede, spectabilis provincia, publice docendae anatomiae et chirurgiae, mihi nuper gratiose est concredita et demandata; mearum esse partium duxi, ut non solum primam gratissimi animi tesseram, post *Numen supremum*, *Patronis* et *Promotoribus*, bene mihi faventibus, quos demissa reverentia suspicio et veneror, publico hoc specimine consecrarem, sed etiam ex laudabili consuetudinis et officii lege, orationem è cathedra dicerem, atque ad eandem benevole audiendam praemisso programme praesentem eruditorum coetum invitarem.

Varia sese mihi obtulerant dicendi scribendique argumenta, ex amplissimo rerum medicarum campo petenda, ex quibus alterum, *de fatis haemorrhoidum*, publicae recitationi destinatum, pro virium mearum modulo chartae mandaveram; alterum vero, typis imprimendum, cui animum manumque applicaveram, inopinato impedimento, quo minus ad colophonem perduceretur, lucemque citius subiret, à fili abrumpendi et permutandi laboris necessitate in ipsis retardatum, imo plane suffocatum est primordiis.

Cura etenim et providentia laudabili ILLVSTRIVM DOMINORVM SCHOLARCHARVM, qua provehendo studio anatomico favent, corpus mulieris, Norici fluminis fluctibus absorptae, mihi ad dissectandum fuerat oblatum. Ecquis autem est, qui mihi succenseat aut vitio vertat, quod manum calamumque à scribendo retraxerim, atque commodam hanc occasionem adeundi opere muneris ambabus arripuerim. Totus hinc fueram in eruendis machinae humanae arcanis structurae artificii; praecipue autem in *Splanchnologia* versabar demonstranda.

5

stranda. Inprimis autem hac in femina, quae virgo, triginta circiter annos nata, sana, vegeta et frugalis, viro viduo, civi inter opifices Norimbergenses haud ignoto, nuper ante quinque hebdomades nupserat, uterus postulabat, ut attento animo, oculis curiosis, et cultro suspenſa manu incidente investigaretur, eo fine, ut in id caute inquireremus, annon forte praegrans matrix novum quid nobis exhiberet spectandum? Neque spes concepta nos fefellit. Quanquam enim recens maritata nondum ovulum embryone fecundum utero conceperat, sed potius indicia praegressi et finientis fluxus menstrui visenda praebuerat: alia tamen, eaque rarius contingentia phaenomena, tam intra uterum, quam in ovariis, sese dabant conspicienda. Haec res me movit, ut, seposito altero scribendi argumento, quod in aliud tempus refero, notabilem hanc observationem anatomicam, in theatro anatomico nupera dissectione detectam, *de excrescentia praeternaturali intra cervicem uteri* reperta, nonnihil praefari mecum constituerim. Dum enim eiusmodi phaenomena non omni tempore occurrunt obvia, sed rarissime saltem sub examinis incudem revocari possunt aut solent, ideoque casum hunc profus singularem omnino dignum censui, quem publica luci traderem.

Equidem ingenue fateor, vitam anteactam et valetudinem huius feminae, itemque morbos et passiones tam animi quam corporis, quibus olim affecta, mihi haud innotuisse, locique distantiam prohibuisse, quo minus in genuinas causas mutatae conformationis circa ovaria et uterum inquirere, neque arcanas originis rationes, quas feminae non raro studiose occultant, ex causis antecedentibus allegare, easque

A 3

ad



ad amissim revocare potuerim. Hancce lacunam, qualem plures anatomicorum in observando intactam vacuumque inviti relinquere passim tenentur, mihi, his in terris peregrino et adhuc hospiti, aequum lectorem benevole condonaturum spero. Satis tamen esto, rem ipsam, prouti meis et frequentissimorum spectatorum oculis patuit, recensuisse, et quae hanc in observationem meditatus sum, candide exposuisse; cuique melius sentienti plenam relinquens iudicandi libertatem.

Hac in femina, undis submersa et Norimbergae extracta, omnia viscera reperi sana, integra atque illaesa, praeter ovaria et uterum, externa specie virgineo vix maiorem. Vtraque nempe ovaria ab integro sanitatis statu non parum deflectebant: sinistrum erat flaccidum, corrugatum et ovulis profus destitutum; dextrum autem quoad maximam partem in liquamen aquosum, colore pallidum, ab admoto igne et coctione non coagulatum, ad instar hydatidis maioris, conversum. Haec cystis ovarii hydropica, quae plurimam parenchymatis substantiam fibroso-vasculosam, macerando corruptam, perdiderat, magnitudine nucem iuglandem maiorem aequabat, imo superabat, atque tunica cingebatur propria, pellucida quidem, sed firma et tenaci, ab involucri ovarii, praeter naturam extensis, suborta.

Non adeo rarae nec infrequentes leguntur adnotati casus ovariorum, in hydatides et tumores hydropicos degenerantium, utpote quibus structurae testium muliebrium perversionibus morbosis non solum insanabilis *sterilitatis*, sed etiam *passionum hystericarum*, imo plane mortis demum causam probatissimi auctorum medicorum iure meritoque adscribunt. Propterea recensita haec ovariorum vitia ulteriori contemplatione



platione non prosequar, sed curiosos et discendi cupidos lectores ad libros aliorum, hac de re editos, remitto. (1)

Maiorem attentionem meruisse mihi visa est *excrescentia fibroso - carnea* rarioris exempli, in utero inventa, de qua nunc potiora referam momenta. Postquam enim partes generationis muliebres, e sinu pelvis caute separatas, extraxeram; incisa per longitudinem vagina, prominens in illam orificium uteri monstrandum sustinui. Ast quanta animum subiit admiratio, cum osculum, in aliis clausum, in hac neonupta conspicerem nonnihil ampliatur, labiis ad pollicis transversae ferme latitudinem distentis? Equidem e cruentatione osculi et cavitatis internae matricis haud vana mihi suborta est coniectura, praegressam menstruam purgationem, cuius vestigia remanserant conspicua, aliquam oris uterini laxitatem post se reliquisse; attamen alia accessit insuper diductionis causa. In medio enim oris haerebat, turundae ad instar, massa quaedam carnea pallide - rubens, magnitudine et forma

(1) Confer. A. BRENDÉLIVS in diff. de ovario hydropico. SCHORKOPFFII diff. de hydrope ovarii muliebris. HVBÉR Icon. anatom. HALLERI Fascic. I. Tab. III. fig. I. Lit. W, W. ovarium dextrum hydropicum delineat. BOEHMERT obs. anat. rarior. fascic. II. Tab. II. fig. III. pag. 44. IO. de MVRALTO exercit. de lymphæ et salivæ in annexis §. 11. BONETI sepulchret. Lib. II. Sect. 36. pag. 1354. seqq. MORGAGNI de sedibus et causis morborum Lib. III. Epist. 39. Art. 40. multos nominavit Auctores, qui de hydrope et vitis ovariorum mentionem faciunt, insimul affirmat, saepius in sinistro, rarius in dextro ovario morbum hunc observatum esse. Passim in Misc. Nat. Cur. itemque in Commercio Lit. Norimb. casus eiusmodi recensentur.

ma glandis maioris querneae, aperturam laxè obturans. Inciso hinc per longitudinem ad fundum usque utrimque angularem uteri corpore; inveni operculum hoc pyriforme intus alligatum lateri dextro sulcoso uterinae cervicis, utpote cui in parte superiori ope petioli membranaceo - fibroso - vasculosi, calamus stramineum minorè crassitie aequantis, sat firmiter adhaerebat, membrana continua undique cinctum. Pendula haec excrescentia substantiam exhibuit pallidam fibroso - carneam, fungoso - polyposa paulo duriolem. Reliqua et interior cervicis uterinae paries naturalem referebat faciem, sine hydatidibus seu ovulis NABOTHIO visis. Osculum uteri, in vaginam prominens, heic insolite durum, tumidumque apparebat.

De excrescentiis vaginae uterinae, quae prolapsum matricis mentitae sunt, et forte eundem saepius fingendo mulierculis et obstetricibus, imo Chirurgis rei anatomicae ignaris, nostro adhuc aevo imponunt, non adeo rarae existant historiae; siquidem vaginae textura laxa, rugosa et vasculosa magis, quam uterus densior, apta nata est ad eiusmodi farcomata progignenda. Huiusmodi excrescentias vaginae, speciem prolapsus uterini fingentes, referunt MEECKREN (2) ROONHVYSSSEN (3) BARTHOLINVS (4) SEGERVS (5) WIDMANNVS (6) aliique.

Molas

(2) Obs. Chirurg. Cap. 51.

(3) Obs. Chir. Part. I. obs. 2.

(4) Histor. anatom. Cent. II. hist. 58.

(5) Misc. Nat. Cur. Dec. I. A. II. obs. 121.

(6) Ephem. Nat. Cur. Cent. VII, obs. 98. p. 459.

— — — — —

Molas uterinas, quarum frequens apud Auctores fit mentio, frequentior accidit excretio, heic lubens praeter eo; quoniam haec concrementa praeternaturalia in cavitate uteri, modo e sanguine intus effuso et condensato, modo ex ovulis conceptis atque corruptis, modo ex recrementis placentae residuis nata, citius succrescunt, laxiusque utero cohaerentia tandem sua sponte secedunt et excernuntur, ideoque a natura et genesi huius, de quo agimus, sarcomatis, longius distant.

Multo rariores exstant historiae excrescentiarum, ipsi substantiae uteri, eiusque cervici innatarum, quae cum nostra aliquam habeant affinitatem. Nihilominus tamen nonnullas earum reperire mihi licuit. Ita KERCKRINGIUS (7) vidit *sarcoma in muliere, hysteriis passionibus acerbissime cruciata, interno uteri orificio adnatum, quod diductum per totam vaginae latitudinem extra corpus se ostenderat, sub specie uteri prolapsi. Idem ibidem addit: Postea aliam ipse secans puellam, inveni similis sarcomatis rudimentum, instar dactyli forificio interno adhaerescens.* Theod. ZWINGER (8) notabilem refert historiam feminae, quae post varia pathemata coepit in vagina uteri aliquid sentire, quod egerendi maximum conatum moveret. Imperitae, quas arcesserat, obstetrices, fungum coagulati sanguinis esse sphacelatum arbitratae, illum manu pertinaciter protrahunt, molem nempe carneam duas fere spithamas longam, aegra prae acerbissimis doloribus inmaniter vociferante, venas atque nervos omnes ex utroque iliorum

B latere

(7) Spicileg. anatom. obs. 53. pag. 113.

(8) Misc. Nat. Cur. Dec. II. Ann. II. obs. 186. p. 413.



latere sibi rumpi, alto clamore ingeminante. Sarcoma nempe extraxerant infixum utero, quem inversum, aliisque minoribus fungosis tuberibus oblitum, foras eduxerant, eo eventu, ut misera, post incisionem tumoris audacter factam, et succedentem repositionem, sphacelo superveniente e vivis sublata sit. MORGAGNI (9) mentionem quidem facit excrescentiarum in cervice et orificio uteri repertarum; quoniam autem vesiculares et muco repletas nominat; illas, tanquam alienas a nostra, huc revocandas haud censeo. Propius ad imaginem huius sarcomatis accedunt sequentes celeberrimorum Anatomicorum observationes: R V Y-SCHIVS (10) enim in muliere, a longo tempore ex fluore albo immani, uteri prolapsu laborante, detexit varias excrescentias, membranaceo-carnosas, ex orificio uteri interno propendentes, quas ob similitudinem cum polypis narium, polyposas apte vocavit. Illustris de HALLER (11) de simili sarcomate in cervice uteri reperto, ita infert: *Morbus harum valvularum est, quem nuper vidi. Appendix nempe fuit. uvulae prolapsae similis, pendula in ostium.* Denique H V B E R V S (12) delinquit levomolae seu sarcomatis rudimentum, in media fere uteri cavitate lateris sinistri locatum, rubentem carnem referens. Inferius autem in cervice uteri pingitur similis fere caro, os uteri, cum adhuc integrum esset, penitus occludens.

Poste.

(9) loc. cit. Epist. 47. Artic. 16. et 23. p. 392. seq.

(10) Observ. Anat. Chirurg. obs. VI. fig. 6. 7. p. 9.

(11) Icon. anat. fascic. II. tab. ult. not. 2.

(12) vid. Halleri Icon. anat. fasc. I. Tab. de utero, fig. I. Lit. N. et O.

Posteriores observationes anatomicae cum nostra magnam omnino exhibent affinitatem; nec lubens concedere ambigo, utrum aliquis hancce excrescentiam carnofo-fibrosam ad sarcomata generatim, an speciatim ad polypos aut ad carnem fungosam, (à qua tamen mollitie diffidet,) referre malit. Nullum enim ulcus, nulla erosio, quae carnem luxuriantem afferret, isthic locorum adfuerat.


Causas antecedentes, ex quibus haec excrescentia fit suborta, pro certo allegare prohibet ignota vitae morborumque, cum quibus conflictata fuit, conditio. Pudicae etiam feminae, qualem hanc fuisse perhibent, raro cum familiaribus suis communicant secretas passiones, sed potius easdem occultant, spe licet vana subinde inductae, fore ut sua sponte fileant cessentque molesta pathemata. Quod si tamen aliquis coniecturae est locus, MORGAGNI (13) sententia, qua *fluorem album mucosum non ex uteri fundo, sed potissimum e ceruice eius promanare* asserit, itemque RVY-SCHII (14) supra allegata observatio, me mouent, ut suspicer, hanc feminam aliquando simili, nec insolito aut infrequenti, laborasse fluxu, benigno tamen, non autem maligno. Si enim erodens quoddam ulcus uteri cervicem aut vaginam depavisset, atque aut carnem luxuriantem, aut cancrosum ulcus ingenuisset; caro heterogenea, laxe succrescens, non solidam, nec membrana undique cinctam efformasset excrescentiam. Nullum hinc cicatricis aut sinus exeli vetugium in utero et vagina eius relictum.

B 3

A men-

(13) Loc. cit. Lib. III. Ep. 47. Art. 17. p. 392.

(14) Loc. cit.



A menstruo sanguinis fluxu, per frigus admissum, terrorem aliasque causas, subito suppresso, si derivaretur hoc sarcoma; saepius paterentur hunc morbum feminae, quod tamen rarissime contingit.

Genesin eius ex ortu aliorum sarcomatum illustrari posse autumo. Certum enim est, corrupta semel naturali et legitima partis cuiusdam, etiamsi minoris, textura, eaque in alienam conversa, quae fabricae heterogeneae carnis favet, insolitas generari formas fibrasque, exemplo verrucarum, clavorum, fungorum, sarcomatum varii generis, polyporum, molarum, ulcerum cacoëthiorum, carcinomatum; venerearum excrescentiarum, etc. Exoticae hae partes, tono naturali et contextu nervorum vasorumque legitimo destitutae, advectos humores haud rite in circulum agitant, sed ita partim eosdem immutant, ut aut in corruptionem et acrimoniam rodentem ruant, aut accretionem irregularem accelerent, quinimo pro indolis varietate, aut tumoris qualitate, in magnam demum surgant molem. Pari modo excrescentiae uterinae, a mutato fibrarum naturali genio tanto citius incrementum capiunt, quanto maior sanguinis affluxus, singulis mensibus revertens, copiosorem suppeditat materiem iniqui nutrimenti. Simili ratione subnatam esse censeo hanc, de qua agimus, excrescentiam, quae tamen intra angustos limites orificii uterini hactenus compressa et arctata, citatoris incrementi impedimentum experta est. Vbi vero ista successu temporis angustos oris uterini fines transgressa, ad ampliorem et dilatabilem vaginam descendisset; cubio procul velociter vegetationem subiisset, ac tandem ex stagnante et  
con-

congesto cruore aut in prolapsum spurium excreviffet, aut in ulcus mali moris, putridum atque cancrosum degenerans, lentam miserrimamque mortem acceriffet.

Tristem huius morbi eventum, quem aliae expertae sunt feminae, haud difficile est praevidere futurum, cum, ob derogatum intra cervicem uterinam accessum, neque deligationis, neque sectionis, minime ustionis, aut septica remedia locum invenissent commodum. Vnicum, licet ambiguum, superfuiffe videtur extirpandi sarcomatis auxilium in graviditate et partu. Vtero enim, ac demum cervice et osculo eius, latius expanso, fieri potuiffet, ut non solum filamenta petioli, cui excrementa adhaesit, a nexu suo diducta aut lacerata discessissent, sed etiam in partu a pressione transeuntis foetus moles pendula eradicata atque avulsa, foras simul effret protrusa. At vero ne spes quidem dubii huius subsidii amoliendae peregrinae carnis affulfit miserae. Sterile enim coniugium praesagiebant tam ovariorum vitia, quam morbosum matricis operculum, a quo ingressus virilis spermatis effret impeditus. Forte etiam dolor, ex maritali copula natus, hac in muliere omnem conceptionis voluptatem delevit. Eandem feminam subinde hysterice passionibus vexatam esse, vero videtur simile. DIEMERBROECKIUS (15) enim fidem facit: *se in cadaveribus, hysterica passione extinctis, raro vitium aliquod in utero, sed plerumque in alterutro, vel utroque teste invenisse.* Huc quoque pertinet KERCKRINGII (16)

B 3

obser-

(15) Anatom. L. I. Cap. 24.

(16) Loc. cit. obs. 53.

observatio, supra nota (7) allegata. Idem affirmant Fr. HOFFMANNVS, IVNCKERVS, BÜCHNERVS, *Illustr. van* SWIETEN, et laudatus de HALLER.



**H**aec potiora sunt momenta, quae in observationem nostram anatomicam medidatus sum, et haud indigna iudicavi, quae praemitterem orationi auspicali *de fatis haemorrhoidum* conceptae. Initium quidem muneris demandati iam per tres praeteritos menses feci, publicis in diaetam eruditorum praelectionibus, atque dissectione et demonstratione praefati corporis feminini in theatro Academiae anatomico. Ut tamen laudabili inaugurationis consuetudini satisfaciam, et PERILLVSTRIBVS ac GENEROSISSIMIS huius Vniversitatis DOMINIS CVRATORIBVS, quorum nutui gratioso hanc publicam Anatomiae et Chirurgiae profitendae provinciam in acceptis refero, gratissimum devotissimumque animum meum declarem; crastino lunae die e cathedra maioris auditorii sermonem habere inauguralem mecum constitui.

Huic



Huic solemnitati ut frequentes ac benevole interesse  
velint

MAGNIFICVS ACADEMIAE DOMINVS RECTOR,  
GENEROSISSIMVS OPPIDI AGRIQVE ALTORFINI  
DOMINVS PRAEFECTVS,

EXCELLENTISSIMI OMNIVM ORDINVM DOMINI  
PROFESSORES,

COMMILITONES GENERE, DOCTRINA AC VIRTU-  
TIBVS FLORENTISSIMI,

omni, qua par est, reverentia, observantia et humanitate  
invitatos rogo ac decenter oro.



P. P. Altorffii die IX. Ianuarii. Anno R. S.  
c1o 19cclxxiiii.



KD. 78

PICA





(12)

AD AVDIENDAM  
ORATIONEM AVSPICALEM  
DE  
F A T I S

HAEMO

D. X. IANVAR. A  
IN PVBLICO ET  
HA  
OFFICIO


OBSERVATIO

EXCRESCEN  
IN VTERO

CHRISTIAN  
HO

MEDICIN. DOCTOR  
PROFESSOR P

ALTORI  
TYPIS IOHAN  
ACADE



2

